

tia, sapientia parum, brevi antequam vita discederet, sic legere coepisse, & sic à Salustio relictum affirmasse: Satis loquentia, sapientia parum; quod loquentia novatori verborum Salustio maxime congrueret; Eloquentia cum insipientia minime conveniret. Atenim - verò loquentia quoque Hagemanno maximè congruit; eloquentia cum insipientia ejus minime convenit; cujus rei testimonia cum, post primum illud ipso Libri initio, singulis capitibus & tantum non universis paginis det luculentissima, unicum tantum ex ultimis, si ordinem spectes, si magnitudinem, haud è postremis, lubet addere, ubi inania ineptaque verba non pauca, quæ ipse non intellexit, prætereaque nihil, invenis. Nec hic, inquit, (aa) (in S. Cœnâ) Dn. Alberti statuit præsentiam realem & manducationem Corporis CHRISTI per ubiuitatem, sed fingit materiam quandam cœlestem, quam accipiant Lutherani cum suo pane. Ubinam quæso statuo præsentiam realem & manducationem non Corporis CHRISTI, sed fingo materiam quandam cœlestem, quam cum pane accipiamus? Nemo verò promptior est Hagemanno, more locutulejorum & blatteronum ad respondendum: Sic enim, inquit (bb) Albertus ait cap. XVI. At verò materia terrestris non tantum vocatur in ipsâ cœnâ panis & vinum, sed & tunc debet esse medium communicandi nobis materiam cœlestem. Iterum pag. 424. inquit: Præceptum de manducatione ac bibitione præmisit, unionem materia terrestris & cœlestis subjunxit. Hæc sunt commenta, quæ meritò ridebunt Calviniani, quæ fingitur præsentiam ubiuitariam sumtio materia cœlestis, quæ sane non potest esse Corporis & Sanguinis DOMINI. At verò vides,

B 2 mi

(aa) In Additiuncula num. 11. pag. 278.

(bb) Ibidem.